

332(67)

DE NEGOTIIS

GESTIS.


ff. LIB. 3, TIT. 5.

HAS THESES PUBLICIS COMPETITORUM DISPUTATIONIBUS SUBJECTAS,

FAVENTE DEO ET VIRGINE DEIPARA TUERI CONABITUR

H. MASSOL,

Die vigesima tertia Junii.



TOLOSÆ.

EX TYPOGRAPHIA PH. MONTAUBIN.

—
1838.

h59h-1

JUDICABUNT

VV. DD. CC.

GARRISON Scholarum juris inspector generalis , præses in curiâ regiâ Tolosanâ , Legionis Honoris signo decoratus , præses certaminis.

DELPECH , FERRADOU , LAURENS , BENECH , CHAUVEAU , Legio-	In consultissima ju- rium Facultate Tolosanâ anteces- sores.	RESSIGEAC , Legionis Honoris , eques , in regia curiâ Tolosanâ advocatus regius . PECH , Legionis Ho- noris eques , DEJEAN , DARNAUD.	In curiâ regiâ To- losanâ consiliarii .
---	---	--	--

ARGUMENTABUNTUR

DD.

RODIÈRE , GASC , CABANTOUS , BRESSOLES , AUZIES , MOLINIER .	Juris doctoris .
---	------------------

DE NEGOTIIS

GESTIS.

OBLIGATIONES sunt civiles vel prætoriæ si illarum fontem externum spectemus; cum autem quæritur illarum causa interna, in quatuor genera segregantur, oriuntur ex contractu, quasi ex contractu, maleficio, aut quasi ex maleficio. De illis quæ profluunt ex maleficiis vel quasi ex maleficiis nobis disserendum non venit. Omittemus quoque contractus, illorum vim et potestatem, sed animum attendemus ad actiones quæ quasi ex contractu negotiorum gestorum derivantur.

Obligatio quasi ex contractu proveniens, adeo proxima est illi quæ ex contractu desumitur, ut nonnulli jureconsulti doceant, illum contraxisse qui tamen solummodo quasi ex contractu obstringitur. Gaius ponit duas causas obligationum quæ ex contractu vel ex delicto descendunt. (Comm. 3, n° 88). Quapropter obligationem ex quasi contractu denominamus quæ accedit sine maleficio et non offert delicti indolem, parvi interest utrum intervenerit factum voluntarium; nam tutor necessitate subit onus tutelæ, et quamvis sponte alienis rebus sese non immiscuerit tenetur quasi ex contractu. His præmissis, explanabimus regulas negotiorum gestionis.

Dignoscitur negotiorum gestio cùm aliquis negotia ignorantis pertractat:

si dominus cognosceret hanc administrationem , et nihilominus sileret , mandare censeretur ; igitur hoc quasi ex contractu dominus obligatur non propter consensum certum et verum , sed duntaxat propter utilitatem et aequitatem.

Prætor edictum circa negotiorum gestionem tulit ob commodum eorum qui aberant ; cum enim sæpe proficiscantur nulli delegata bonorum administratione , illorum utilitas poscebat ne indefensi permanerent , nec bonorum amissionem perferrent , eo tamen pacto , ut cum ipsis salvi essent , is quoque qui eorum rem curavisset , ipse in eos haberet actionem , seipsum tuendi causa. Extat negotiorum gestorum obligatio quotiescumque non collatum fuerit mandatum , atque etiam qui fines mandati excedit ad negotiorum actionem recurrere poterit in quibusdam casibus.

Duae actiones hoc quasi ex contractu emanant , dantur tam heredi quam in heredem. 1º pertractabimus de actione directâ ; 2º de actione contrariâ ; 3º de personis quæ illis actionibus subjiciuntur.

PRIMA DIVISIO.

DE ACTIONE DIRECTA.

Videamus 1º propter quod negotium veniat hæc actio , 2º quas præstationes contineat.

§ I.

Directa conceditur actio domino ut gestor det rationem suæ administrationis. Ubi negotium meum ministratum est , mihi conceditur actio directa , sub dupli respectu negotium meum gestum intelligitur , vel ab initio vel ex post facto ; primi casūs exempla hæc proponenda sunt , aegrum curavi servum alienum qui proderat domino , aliquis creditori meo

quod ei debo persolvit. Secundi casus species talis est : Petii à Titio qui non erat tuus debitor , attamen mihi solvit per errorem ; cùm de hoc admonitus fuisti , solutionem approbabisti ; tibi licebit ad me reverti , quoniam negotium tua contemplatione gestum est ; tuo assensu incepit esse tuum , et quamvis tibi nihil debitum fuisse in principio , tua rati-habitio effectit ut ille qui solvit te persequatur actione indebiti , igitur tibi adversus illum qui recepit tribuetur actio negotiorum gestorum. Huic decisioni similis est quæ postponitur. Te per errorem existimavi here-dem Titii , à debitore Titii exegi , illud negotium ad te non pertinet , nullo modo ad te redundant , sed tu ratam habuisti solutionem mihi fac-tam ; hæc confirmatio et adhæsio tuum facit quod extra te erat , negotiorum actioni obnoxius sum et potes conveniri ab herede vero petitione hereditatis. In istis speciebus ratihabitatio negotium tibi proprium trans-format quoniam reipsa non est alterius ; si esset alterius ratihabitatio tua inefficax haberetur et effectu orbaretur. Te heredem credebam , fulsi insulam hereditariam ; alius heres invenitur , tu approbasti quod feci ; mihi tamen contra te non dabitur actio ad recuperandum pretium ; nam ille qui est reipsa heres impensis locupletatur. Ratihabitatio tua supervacua est ; nam illa tibi attribuit solummodo negotium quod non est alterius.

Hæc actio attingit non solum eum qui sponte sese ingessit alienis negotiis , sed adhuc qui excitatus fuit propter necessitatem , vel neces-sitatis suspicionem.

Necessitas talis invenitur cum reipsa non cogitur gestor sese im-miscere , sed impellitur quia res urget , vel aedificia ruinam mini-tantur , vel bona periclitantur , vel opinatur gestor sibi in obligatione esse tractationem rei alienæ.

Liber homo qui bona fide servit , assequitur quod sibi mandatum est ab illo quem putat dominum ; quasi ex necessitate servili movetur , sibi proposuit tractationem mei negotii ; mandati actio non competit quippe qui mandatum non libera voluntate adimpleverit , superest actio nego-

tiorum gestorum , pari subjicitur actioni qui se tutorem falso arbitratus administrat bona pupilli.

§ II.

Gestor tenetur suppeditare rationes administrationis , debet restituere omne quod ipsi obvenit , non tantum quod percepit ex rebus ut fructus et foetus , sed adhuc quod occasione administrationis obtinuit. Si meo nomine petens fundum , ampliores fructus recepisti , mihi praestabis. Damnum quoque sarciet gestor , si ædificia destruxerit , bona perdiderit et novum negotium instituerit , quod absenti insolitum erat ; insuper condemnabitur propter lucrum quod deest. Attamen si in quibusdam apparet damnum negotiis , et in quibusdam lucrum , compensationi locus erit. Maximas usuras præstat gestor , si pecuniam domini in suos usus converterit ; ita severe plectitur qui sine mando patrimonium alterius invadit. De vulgaribus tantum usuris tenetur gestor cùm pecunias sibi creditas ab absente sine usuris , non exegerit. Sane non culpandus est quòd ab aliis debtoribus non exegerit , non potest illos cogere ad solutionem , nam debtor non recte solvit nisi creditor , ne periculum adeat iterum solvendi , si creditor ratam non haberet priorem solutionem. Eadem ratione objici nequit obligationem propriam gestoris extinctam fuisse morte vel tempore ; cùm enim debuerit semetipsum interpellare , obligatio non diruitur. Ex his constat , negotiorum gestorem coarctari ad solutionem usurarum proprii debiti , et dominus usuras adipiscetur quamvis in principio debitum non fuisse usurarium.

Si gestor pecunias exactas fæneraverit , ad restitutionem compelletur usurarum ; huic imminet periculum obligationum , quia credidit nummos personæ non idoneæ. Hæc ostendunt gestorem requiri posse propter casum fortuitum , cùm in culpa versatur ; pecuniam redactam ex debtoribus absentis non gestor tradidit creditoribus ejusdem absentis , pecunia illa rapta fuit ; hoc evenit propter gestoris præcedentem negligentiam , potius alienum æs solvendum erat. Et contra vituperatione dignus non esset gestor , si justa occurrisset causa hujus pecuniæ servandæ , ut poena vita- retur , ut res absentis protegeretur.

Gestor convenietur non solummodo propter gesta, sed etiam propter neglecta. Explicare debet quae incepit sed non inchoare nova; nisi tamen gestor sese obtulerit ut absentis omnia complecteretur negotia. Si gestor ab alio emit rem absentis et illud postea cognoverit ante completum tempus usucaptionis, aliquem injungere debet qui rem vindicet nomine absentis ut ita et sua absenti res conservetur, et sibi ipsi gestor stipulationem evictionis obtineat; nam si ubi negotiorum gestor intellexit rem esse alterius illam restituit ultro, orbatur actione ex stipulatu evictionis nomine; emptor qui rem libenter abdicat, beneficio stipulationis exuitur; si negotiorum gestor usuceperit rem et ignoraverit illam esse absentis, non restituere compelletur actione negotiorum gestorum; quoniam habuit in mente non absentis sed suum negotium confidere.

Sine mandato judiciali petitio non recte denuntiatur debitoribus a negotiorum gestore, nisi gestor fuerit sanguine conjunctus illi cuius bona procurat, nec onerosa fuerit de rato cautio. Illud principium non prohibet gestorem uti adversus debitores interpellatione extrajudiciali quae sufficit, ut videantur debitores moram afferre, et morae poenis afficiantur.

Allegaretur frustra in hoc casu per liberam personam adquiri absenti, quod repugnat legibus: nam gestor officio fungitur, sicuti ille qui administrans negotia mea, furem deprehendit, et furti manifesti emolumen-
tum mihi confert.

Gestor à se ipso debet exigere debitum; ideoque si divortio facto et dote nondum restituta uxori, maritus ipsius administret negotia, repetitio adversus illum intendetur, et difficultas non erit magna, si maritus fuerit solvendo; si vero ipsius bona non sunt suffectura creditoribus, considerabitur an fuerit in mora, vel non; si certum tempus fluxerit antequam desierit solvendo esse, actione tenebitur negotiorum gestorum; si statim cessavit esse solvendo, actio dotis solummodo proponetur; et longe differt actio dotis ab actione negotiorum gestorum; nam maritus qui convenitur actione dotis invocat beneficium competentiæ, quod scilicet impetrat ad temperandam obligationem quæ præcedit nuptias; quodque

commodum denegatum est marito qui subjicitur obligationibus formatis post nuptiarum dissolutionem.

Nihil imputatur negotiorum gestori cum à se non exigit quod dominus ipse persolvere non potuisset ; sibi pignus traditum est , non invenit , in bonis unde lueretur , atque ideo nullam meruit reprehensionem.

Non excusaretur negotiorum gestor contendens se non constitò in negligentiam cecidisse frustraque ad suam ignorantiam et imperitiam refugeret; huic diligentia imponitur major illa quam suis rebus adhibet ; parvi interest utrùm negotiorum gestio respiciat solam utilitatem domini et non proficiat negotiorum gestori , nam in culpa es si te immiscueris rei que ad te non pertineat; negotiorum gestor vituperandus , si omnia recte non absolvit , et ita alteri detrimentum attulerit. Aliquoties tamen qui alterius negotium dirigit nihil ultra dolum præstat, veluti cùm rebus absentis desertis vel perituris et vel distrahendis supervenit. Negotiorum gestor affectione motus , impedivit amissionem bonorum et de domino bene meritus est.

DIVISIO SECUNDA.

De actione contraria.

Intueamur 1º cui negotio adaptetur actio contraria negotiorum gestorum ; 2º quas præstationes contineat; 3º quandò illa actio deficiat.

§ I.

Æquitas imperat ut ille qui invadit alterius negotia teneatur rationes reddere; volens se instituit gestorem ; hujusc facti consequentias perpendit , et alteri non potuit esse nocivus ; at dominus non consentit ,

gestum ignorat, et perdurum est illum gravari obligatione quam non ambiit. Attamen melior ipsius conditio evenit, adjuvatur, gestio ipsa fructuosa est; quomodo rejiceret actionem de eo quod impendit gestor? Sed huic actioni certae conditiones imponuntur.

Meo negotio perspexisse videtur, qui gessit alterius negotium cum mea interesseret; si negotia pupilli à te ita gesta sunt ut judicio tutelæ non teneat, tibi obveniet contra me actio negotiorum gestorum, et contra pupillum si locupletior factus sit. Item si procuratori tuo pecuniam contuli ut pignus tuum liberaret, mihi contra te salva est actio. Sed adversus procuratorem nulla mihi contingit actio, quia solvendo ipsius obligationem non perspexi; si autem à procuratore stipulatus sum, duplex actio mihi adquiretur, scilicet in te actio negotiorum gestorum, in procuratorem ex stipulatu; sed si non tui contemplatione procuratori pecuniam dederam, licet ille in tuos usus verterit, in te nullam actionem exercere possum.

Ad hanc actionem creandam non necesse est ut gestor officium reddiderit illi cui inferre cupiebat; sufficit ab ipso alterius negotia pertracta fuisse: quare cum negotia Titii gerere cogitarem quæ essent Sempronii, adversus Sempronium hac actione experiar.

§ II.

Si gestor majorem summam quam oportebat impendit, recuperabit tantum quod non frustra impensum est. Utiliter gestum reputatur quod fortuito casu intercidit, itaque si animal quod gestor curavit postea mortuum fuerit, remanet actio qua indemnus fiet gestor; non enim aspiciendus est eventus; sat est utiliter negotium susceptum esse: si vero negotium ab initio non erat utile domino, cum gestor fulserit ædificium quod dominus quasi impar oneri deseruerat, quamvis gestor arbitratus fuerit illam refectionem commodam et idoneam, cum tamen non expedierit domino illa refectione, carebit actione contraria negotiorum gestor.

Ex eo quod monuimus actionem contrariam impetrari cum negotium utiliter gestum sit, magna discernitur differentia inter mandatum et negotiorum gestionem; nam procurator qui non finibus mandati exiit, totum consequitur quod impendit quamvis nullum emolumentum mandanti obvenerit; negotiorum gestor contra repetit sumptus utiles.

Actione contraria recepit negotiorum gestor non solum sortem quæ convertit in usum domini, sed etiam usuras: indemnitas perfecta ipsi porrigitur.

§ III.

Aliquoties cessat actio contraria quamvis negotium recte gestum fuit. Si quis vetante domino honorum administrationem sumpserit actione destituetur. Ita statuit Justinianus et controversias resecuit quæ inter veteres surrexerant. Actio negotiorum gestorum introducta fuit præcipue in favorem domini; præsumitur assentire gestioni quæ illi lucrosa est; sed quando significat se nolle consensum accommodare tali gestioni, juri contrarium esset, illum obligari, nullum cum gestore negotium habere valebat, cur ille perstare voluit in gestione? Perniciem et exitium suæ rei anteponebat dominus, cui obstare non debuissest gestor et ita contradicere.

Contraria quoque evanescit actio si quis administraverit et alterum impiderit qui gratuito gesturus fuisset, nam domini intererat hunc non excludi. Qui nihilominus sese prætulit, et ad gestionem properavit, nocuit domino quoniam alter gestor nihil repetere in animo habebat.

Cùm animo donandi administratur, quod expensum est non repetitur. Regulariter qui recipit pecuniam non obligatur si talis non fuerit mens contrahentium; quomodo in hoc casu, absens obligaretur cum ille nihil receperit et cum hic qui impendit pecuniam, non sibi proponit illum obligare.

Ex affectu gerentis animus non petendi noscitur, cùm aliquis propt er pietatem et amicitiam officium complet; ille affectus in patre, matre et cæteris parentibus præsumitur, qui liberis alimenta præbent, vel illorum studiis provident. Maritus etiam non obtinet pecuniam quam erogavit propter morbum mulieris, sed quod impendit in funus, recipit à patre cui dos revertitur. Illæ personæ propter conjunctionem censemur motæ fuisse solum animo reddendi officium; et si illud officium non esset gratuitum tamquam extranei egissent. Sed regula contraria vigeret si manifestaverint se nequaquam repetitioni renuntiare, vel si illas impensas in rationes intulerint. Exemplum addamus: Pater peregre decessit; mulier quæ illum comitabatur cum filiis, illos aluit dum reverterentur in patriam; carebant pecunia, repetitio non interdicetur matri; quod impendit propter necessitatem recuperabit; sicuti declarat Modestinus in lege 18 dig. de adimendis vel transf. leg. in necessitatibus nemo liberalis existit.

Propter ea quæ jure efficere tenemur nulla speratur repetitio. Filius nulla possidet bona, se nutrire nequit, frustra pater qui hujuscmodi sumptibus satisfecit, testaretur se voluisse repetrere; omni actione destitueretur, officium necessitatis replevit, et legibus naturæ obtemperavit, eadem decisio sequeretur, si libertus filii patroni tutores peteret, quoniam ipsi hæc obligatio expresse injungitur.

Palam est illam actionem de qua disserimus tolli in totum cùm dominus negotiorum gestori fit heres; minuitur tantum, si pro parte succedat dominus.

TERTIA DIVISIO.

QUE PERSONÆ HIS ACTIONIBUS SUBJICANTUR.

Actio directa datur omnibus quorum negotium gestum est. Hæc actio auxiliabitur quoque pupillo et furioso quorum res ministratae fuerint.

Actio contraria vertitur in illos quorum negotia gesta sunt. Quamvis regulariter pupillus et furiosus non habiles sint ad obligationes contrahendas, tamen in hoc casu obligantur, quoniam illorum obligatio non ex consensu provenit sed re formatur. Tamen ut illorum obligatio consistat, non sufficit rem utiliter gestam esse, exigitur adhuc illos locupletari, igitur si res perierit utiles impensas non resarcient.

Servus qui se alienis rebus immiscuit, ad se obligationem non trahit. Ex delictis solummodo servus obligatur civiliter, et post manumissionem perperam exquireretur, et facto anteriore nihil contra illum deducetur. Attamen si persistit servus in gestione et novum actum à precedente separari nequit, actionem non elidet servus, et ob gestum in servitute adstringetur.

Hæc actio extenditur ad captivum cuius bona defensa fuerunt dum esset apud hostes; contra illum reversum actionem exercere fas erit. In hac hypothesi dubium existebat, quoniam tempore gestionis captivus non erat dominus, et quoniam in edicto Prætoris illa reperiebantur verba *si quis negotia gesserit alterius*. Quapropter si tres cives capti sunt ab hostibus et unus delegatus fuerit ea conditione ut pecuniam pro redemptione trium conferret, si ille noluit reverti, ceteri pro illo quoque pecuniam numeraverunt, illam consequentur contra tertium judicio negotiorum gestorum.

Quamvis tempore gestionis hereditas jaceret, obligatio negotiorum gestorum, originem caperet; de hoc casu expressis verbis edictum est, nam difficultas apparuerat; quoniam neque defuncti testatoris, neque heredis qui nondum adierat, negotium gestum intelligebatur.

QUÆSTIONES.

I.

Actio negotiorum gestorum est-ne civilis vel præatoria ? — *Resp.* Est præatoria.

II.

Cum vetante domino aliquis se immiscuit gestioni potest-ne repetere impensas necessarias ? — *Resp.* Non potest.

III.

Negotiorum gestor litem sustinuit et victus est ; poterit-ne repetere sumptus litis ? — *Resp.* Potest generaliter.

IV.

Negotiorum gestor potest-ne intendere actiones adversus debitores domini ? — *Resp.* Hoc jus non habet.

V.

Quid de actione furti ? — *Resp.* Illam movere nequit.

VI.

Paterfamilias negotia gessit alterius , dein adrogatur ; dominus erit-ne sine actione ? — *Resp.* Habebit actionem.

VII.

Pupilli negotia gesta sunt et impensæ necessariæ factæ sunt : attamen perierunt, actio erit-ne salva negotiorum gestori ? — *Resp.* Erit salva.

VIII.

Inter patrem et filium qui est in potestate, obligatio negotiorum gestorum potest-ne consistere ? — *Resp.* generaliter nequit.

IX.

Pupillus gerit alterius negotia, actionem habebit-ne contra illum dominus, cum non factus est locupletior pupillus ? — *Resp.* Dominus est sine actione.

X.

In quæstione quæ præcedit pupillus est-ne obligatus naturaliter ? — *Resp.* Non obligatur naturaliter si non factus est locupletior.

Vu,

Le Président à la Cour royale, chargé provisoirement des fonctions d'Inspecteur-général des écoles de Droit, Président du Concours,

GARRISON.